



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

Clarissimis Juris Utriusque Duum-Viris Admodvm Reverendo, Prænobili,
Consultiſ. Ampliſſimoque Domino, D. Thomæ Quentelio, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

Clarissimis Juris Utriusque
DUUM-VIRIS
ADMODVM REVERENDO, PRÆNOBILI,
Consultiss. Amplissimoque Domino,

D. THOMAE
QUENTELIO,

*Juris Utriusque Doctore SS. Severini & Andreae
Coloniensium, nec non B. Mariae M. Resensis, Ec-
clesiarum respective Praeposito, Canonico,
Capitulari, Archiepiscopalis Curiae Col-
loniensis Assessori dignissimo:*

NOBILITEM
ET ADMODVM REVERENDO, DOCTIS-
simoque Domino,

D. MATHIAE
PHINGSTHORN,

*Juris Utriusque Licentiato Cathedralis Lube-
sensis, & S. Andreae Collegiatae Colonsensis, Ca-
nonico, Capitulari dignissimo, Patricio
Agrippinati meritissimo:*

In Tutelam, Patrociniumq; novi huius sacri
Foetus Iuridici offert, oblatum admitti
supplicat, Obsecratque

Petrus Hilden.

Antiqua memor paroemia passim ja-
ctata, passim recepta, Ne Hercules
quidem contra duos, mox ubi cum Re-
solutionibus Pastoralibus. R. D. Jacobi

* 3

Mar-

EPISTOLA

Marchantii, cogitaveram in publicum
 prodire, arenamque ac stadium Literato-
 rum petere, & opus hoc perquam utile
 communis juris domesticâ typorum operâ
 facere, occurrit mihi in stadiis, ac pala-
 stris Agonothetam semper peritum ali-
 quem præliorum, & concertationum po-
 stulari, ac præfigi, qui ingruentia Male-
 dicentium tela avertere, casusque & er-
 rores fortuitos præcavere posset, aut mode-
 rari. Huic ideo factui domestica nostra Ty-
 pographia in lucem prodeunti, & publi-
 cam Doctorem arenam, stadiumque po-
 tenti, idoneum Agonothetam sollicitè cir-
 cumspexi, & inquisivi: & ecce venit mihi
 in mentem, non Vnum sed Duos vos præ-
 stantes Viros, & in hoc, de quo hic agitur,
 concertationum genere non leviter exer-
 citatos Heroes, Duorum Loco Agono-
 thetarum adsciscere, certus me in stadio
 hocce meo tanto confidentius substiturum
 quanto certius cognoveram, Ne Hercu-
 lem quidem contra duos, insurgere, aut
 decertare præsumpturum. Vos estis DUUM-
 VIRI illi Almodum Reverendi, Nobiles,
 Clarissimique Domini à me prius nomi-

nati.

DEDICATORIA.

nati, status Ecclesiastici Heroes præstan-
tissimi, In Iuris utriusque scitis explicā-
dis, quidni etiam in Resolutionibus Pa-
storalibus, quæ à Iuris scientia depen-
dent, versatissimi, Vos, inquam, estis,
mibi loco Marchantii, harum Resolutio-
num Autoris, Agonotheta vices abunde
explere, patrociniumque impendere pote-
ritis. Ecquis enim hoc melius efficiat,
quam qui in hac concertationum pala-
stra sunt exercitatissimi? At vero ambo
Vos Domini, sacra & profana Themidos
genuini Filii, Vos inquam in Iustitiani
præceptis excultissimi, in Pandectarum
scitis peritissimi, in Codicis resolutionibus
versatissimi, In Novellarum Statutis sci-
entissimi, jam dudum in theatro honoris
Doctoralis amplissimo, ornatissimoque sic
comparuistis, ut dubium reliqueritis, fue-
ritisne Vos in eo vel Laurea Doctorali, vel
Licentiali magis ornati, an vero Vos
Theatrum illud Iuris magnificentissimū,
& tot illustrissimis sideribus splendidissi-
mum, vestra Scientiarum luce magis
exornaveritis, magisque illustraveritis.
Certè Tuorum Admodum Reverende D.

EPISTOLA

QUENTELL Illustrium ornamentorum,
 tam scientià singulari, quam Virtutis ex-
 citatione peculiari conquisitorum testis
 jam diu fuit Praepositura Resensis, qua te
 suum jam diu primariū lumen & agno-
 vit, & coluit. Testis apud nos bene excul-
 ta vetus S. Andrea Ecclesia, Tuis pra-
 positi sui & pietatis & doctrina radiis
 non mediocriter illustrata. Testis S. Seve-
 rini egregia basilica à Tuis etiam illis
 splendoribus nō tenuiter irradiata. Testis
 etiam Curia nostra Archiepiscopalis, in
 qua rerum Ecclesiasticarum judicia As-
 sessor eruditus exerces. Quid dicam de
 Nobilissimo Parente tuo, Pranobili D.
 JOANNE PETRO QUENTELL, Iuris
 utriusque Doctore excellentissimo, nobile,
 ac praestans hic Vice-Comitis munus
 egregiè obeunte? Certè si aliunde propria
 magni animi ornamenta non haberes, ab
 eo sufficientia in Te derivata fuisse com-
 probari possent. Sed id modo non agimus,
 satis nobis hic erit, ab illis tuis commemo-
 ratis Virtutum splendoribus patrocinium
 mihi certum polliceri. Quid nunc de tuis
 praestantibus animi ornamentis loquar
 Ad-

DEDICATORIA.

Admodum Reverende Clarissimeque D.
 MATHIA PHINGSTHORN? Ea licet pro
 nuper Nobilis, Clariss. Amplissimusq; D.
 JOANNES LEMGOVIUS, Iuris utriusq;
 in alma Universitate Coloniensi Doctor,
 & ejusdem Vice-Cancellarius, Promotor
 tuus, satisdum in pro patulo, ac luce pub-
 licâ collocarit, quando CORNU TUUM
 Gentilitium In gloria Licentiæ Juris-
 peritorum publica promotione exalta-
 tavit, Testis tamen plurium ornamento-
 rum tuorum adduci posset Cathedralis
 Ecclesia Lubecensis, in qua ardentis Ca-
 tholica Religionis prunas cineri doloso
 Heterodoxorum ferè insepultas, vivas ad-
 huc lucentesque conservas. Testis dari
 posset Collegiata etiam Sancti Andreae in-
 signis Ecclesia, in qua Canonicali digni-
 tate prae fulgens, tuum orthodoxa pietatis
 studium Zelumque promovendi honoris
 DEI non mediocriter probas. Testis etiam
 sibi posset egregia tua Patritia Consularis
 Agrippinensis Familia, qua te ad eos Ar-
 tium Liberalium Flores; ad philoso-
 phia, Iurisque prudentia Frutices; ad
 virtutum Ecclesiasticarum Fructus no-
 bilissi-

EPISTOLA

nobilissimos, studiosè educavit quos ipsa jã
 in Te, cum Vrbe nostra Colonia, ubertim
 metit, affatim colligit, & in horrea tem-
 porarii Honoris, Gaudii que latissima
 cum plausu invehit, in celo, uti sperat,
 tecum aliquando perennatura. Ecce Do-
 mini mei, DUUM-VIRI Agonotheta exi-
 mii, ornamentis Scientiarum, virtutumq;
 conspicui, Vos, Vos illi estis jure merito, sub
 quorum presidio, ac tutelâ Pastorales hæ
 Marchantii Resolutiones in arenam
 proditura fortunam sibi faventio-
 rem felicemque successum, atque victoriam e-
 tiam contra Herculem quemcunque
 Zoilum promittere audent: Nam illa
 non ingratis hæc in arena presumant, Ne
 Herculem quidem contra duos ejusce-
 modi Heroas, atque Agonothetas, dimi-
 cando prevalituros. Arenam intelligo sci-
 entiam Pastoralium harum Resolutio-
 num, in qua Vos Arrachiones, in qua Vos
 Euthymi, & Theagenes, in qua Vos Poly-
 damantes, fortissimique Milones esse pote-
 stis, sed Christiani, sed scientia Casuum
 Conscientia præditi, sed Palestritæ divi-
 ni, qui non in Olympiis illis Græcorum
 Pyt-

DEDICATORIA

Pythiisque non in Nemeis, Isthmicisque cō-
 certationibus, sed in sacro hoc divina hu-
 manaque sapientia studio, stadiisque exculti,
 & dimicare potestis egregie, & pro aliis
 in hoc pulvere certaturis victoriam pro-
 movere, parere, adornareque potestis.
 Quod dum studiosè præstabitis, Vos etiam
 harum Resolutionum adminiculo, cum
 Pastore bono errabundas Oves ad Ovile
 S. Ecclesiæ reducetis. Vos à felicibus sacra
 doctrina pascuis, gregibusque Lupos rabi-
 dos Heterodoxos avertetis, atque propul-
 sabis. Vos Peccatores Incidentes in di-
 versorum flagitiorum Latrones, maleque
 gratia Dei spoliatos, & vulnerebus non
 unis pessimè habitos, vino Charitatis sua-
 vi, tenique Misericordiæ oleo, cum
 bono Samaritano refocillabitis, re-
 focillatos in pharmacopolium Spiritus
 Sancti induceris, bonisque hic animarum
 Podalyriis, Machaonibus, atque Æscula-
 piis sanandos confirmandosque commen-
 dabit. Hic Vos septena Hydra capita,
 Peccata nimirum Capitalia Hercule for-
 tiores rescabitis, & ne recrescant, lolao
 prudentiores face divini Amoris radices

EPIST. DEDIC.

scelerum aduretis, atque exterminabitis. Hic vos divinas Moysis tabulas, praecepta DEI continentis populis observandas proponetis, ac velut Angeli sancti persuadebitis. Hic Vos in geminis vasis Zachariae Olivae duas Christi Naturas, & in septenis Candelabri radiis septena sanctissimorum sacramentorum vasa, oleo divinae gratiae ab olivis impleta omnibus Christi Fidelibus ad salutem exhibebitis sempiternam. Quae vestra studia in hac mortalis vitae palestra, quid aliud consequi potest, quam immarcessibilis gloriae corona rebus omnibus Mundi hujus postponenda? Hanc vobis Clarissimis Duumviris, & omnibus harum Resolutionum Palastritis ex animo precor, voveo, atque exopto. Colonia Agrippina.

Calendis Septembribus

Anno 1655.

ILLV-